

Va
213



A. 70, ic.

Va

213

CAROLI GVSTAVI HERAEI
*Consilarii Aulici Principalis Schwartzburgici
Sondershusani*

EPISTOLA

Ad

WILH. ERNESTVM TENTZELIVM

De

Opere ipsius Numismatico
SAXONICO.



CAROLI GUSTAVI HESSEI
Cassani A. in Principis Germanici
Cassani A. in Principis Germanici

EPISTOLA

WILHELMUS I. TEXTORUM

Opera in fine definitio
STONICO.



Celeberrimo Domino
WILHEL. ERN. TENTZELIO,
Consiliario & Historiographo S.R. M. Polon.
S. P. D.
C. G. HERAEVS.



Viteratae Tuæ sollicitationi deesse noluerim, in conferendis qualibuscunque Symbolis ad refertissimam Tuam Saxoniorum Monumentorum collectionem; atque ut prodire in publicum patiar celata hæcenus, vberioremq; maturitatem expectantia: Facit Tua, Vir Clarissime, singularis humanitas, & ipsa Operis dignitas. Iubet vero Serenissimæ Gentis gloria. Cui non minus quam publicis commodis pro virili parte inferuendi officium, solennius est, quam ut temere prætermitti possit.

Non poteras melius mereri de memoria tot Heroum, quorum Veneratio, proximorum seculorum pietati non minus sancta debet esse, quam fuit eruditissimis quibusque obsoletæ antiquitatis. Ingenti quidem, quod diffidendum non est, emolumento bonarum artium, & huius Modernorum studii. Qui tanto sunt perfectiores elegantioresque, quo propius ad antiquæ simplicitatis Maiestatem accedunt. Nec poteras Reip. literariæ magis prodesse. Quoniam illa rerum gestarum in præsentia negotia influentium illustratione vtilius iuuatur. Dum idem præstas, quod in Attico & Varrone Heroum illius temporis præconibus laudauit olim Plinius; nec pateris *intercidere figuras, quando iis immortalitatem non solum das, verum etiam eas in omnes terras mittis, ut præsentibus sint ubique & cerni possint.* Quam sit necessaria ista cura, ne contra hæc monumenta valeat vetustas & exiguus præcedentis seculi numismatum numerus: Illi demum optime intelligent, qui illis maxime conquirendis operam dederunt; Quique experti sunt, si Thaleros, s. Vnciales excipias, plurimas, elegantissimasque imagines non feruendo, ut nunc obtinet, casas, sed stando ad effectas cercas formas fuisse fusas, ut moni-
libus

libus appenderentur. Adeoque consumtis per ignorantem auaritiam Prototypis aureis, incuriam prioris æui vix plumbeos quosdam Ectypos reliquos fecisse. Quos vero, vbi cunq; inter peregrinationes obtigit, cum memoria personarum factorumque illustrium non ab interitu vindicare, nefas duxi. Proinde ex his nummis, qui præter locupletissimum Tuum apparatus ad Serenissimam stirpem Generis Saxonici pertinentes in manus meas incideruat, non potuerunt a me meliores in vsus seruari, quam si digni habeantur, qui refertissimo Tuo ærario addantur, vt contra rerum edax tempus sibi met superstitēs sint. Commodius id fieri nequit, quam accurata in æs incisa delineatione. Iuuento nostri Seculi, ipsis Aureis inuidendo. Atque hoc non vltimum est, de quo Tibi gratulor, quod datum fuerit vti intelligente sc̄lptore, olim exerciti longo vsu & cura nostri Morelli, huius delineationis generis callentissimi, sub auspicijs Comitiss Illustriss. Schwartzburgici, Cui ob liberalissimum & indefessum monumenta conservandi studium, gloriā suam debebunt ventura secula, sicut prisca iam debent.

Primum, quem producis *Alberti* nummum, pariter vt Tab. 4. *Iobannis*, & primus *FridERICI* Ducum. Primus *Henrici* Tab. 5. & tres, *Henrici Seuerinique* Ducum Tab. 6. *Mauritii* 2. & 3tius Tab. 10. Restitutos esse, non est, quod dubites, & quidem, vt recte opinaris, per egregium sub Augusto Electore clarum Flaturarium *Tobiam Woff*. Cuius ego numismatum maximam partem possideo, suauiter eleganterque formatam. Id manifeste comprobat cælatoris par ubique genius in anaglyphis non multum eminentibus. Eiusmodi ad exemplum Antiquorum & Modernorum, vt Alex. VII. Pont. Max. Cæs. Maximiliani I. &c. & nouissime Caroli XI. Regis Sueciæ (Patri transitum Maris Balthici restituentis) auctoritate publica, nec nimis longo interuallo restituta numismata insigniter distant procusis priuata industria, & post aliquot secula, vt illa Caroli Magni, Widekindi &c. Imo integræ series, vt Pontificum Maximorum ante Martinum V. & ipsius Stirpis Saxonicæ, vtræque constat, & hæc quidem modulo minimo, & figura parabolica. Coæuum *Alberti* aut *Ernesti* Nummum vix a quaquam produci posse, ego fidenter asserere ausim. Non quod illa ætas numismatum prorsus experta fuerit. Nam præter maximi Moduli imagines, factas circa M. CCCC. XXX. & seqq. ab omnium primo restauratore artis non tam cælatoris, quam anaglypticæ in conslandis extantioribus Ectypis, *Pisano* inquam *Pictore*; habeo antiquam imaginem Cæs. *Sigismundi*, minimi moduli, nec vero in officina illius Iudæi, quem nesci, constat. Adeoque *Hussitici* nummis, quos Celeberr. & Modernorum peritissimus

Da.

Dn. Abbas Bizot primos statuit, in eo præferendum, quod illosum cæ-
latura monetæ potius, quam numismatis sit, Taceo nummum *Bersol-*
di Nigri Pulueris Pyrii Inuentoris, de 1383. quia mihi ipsi restitutus vi-
detur.

Tab. II. ad Georgii Principis Catholici, Nummum 3. habeo torquatam
aliam imaginem, cuius Ichthyocola sub N. 1. non habitu quidem, sed
delineatione & fastis diuersam scil. Ao. M. D. XXXV. At quod mirum,
monetariorum incuria adhuc imberbem. Pari negligentia pars auersa
prorsus eadem est, quæ Nummi Tui 3. *Tab. 2.* Quæ annorum discre-
pantia multum de Modernorum pretio detractura foret, si sæpius ob-
tingeret, & nisi Epochis exacte signandis communiter noui nummi an-
tiquos superarent. Docemur his exemplis, quanto nunc in celebrandis
illustribus, an quibusvis? factis honores sunt effusiores, tanto olim in-
colenda Maximorum Principum memoria fuisse parciores, ratio-
resque.

In egregio Num. 9. *Tab. 3.* quem alibi quam Gothæ a Te mon-
stratum non vidi, Tua cum venia dixerim, nihil subesse mysterii par-
mulis vacuis in scuto. Vtpote quod contra reliquorum ordinem qua-
ter transuersim sectum non potuit non duas superfluas areas produce-
re, priuato, vt videtur, artificis ausu. Sunt mihi huius rei exempla,
vt in raro Electoris Moguntini Alberti, eminentioris sculpturæ
Numismate &c.

Num. I. *Tab. 4.* facit omnino ad Historiam barbæ Georgianæ,
Cuius, (vt patet ex nummis,) promissioris morem post Sigismundi Imp.
tempora abolitum, exemplo Francisci I. eam ab collum prominens alentis,
induxit Carolus V. Imperator. Vltimus eiusd. *Tab.* rarissimus est, quem
nusquam vidi.

Ad Num. 5. *Tab. 5.* Luckii causam dicam. Qui mihi minus in su-
spicionem venit sartium *Biaz*, *Stradeque* familiarium. Posteaquam ma-
ximam partem recensitorum ab eo nummorum inueni. Exceptis paucis,
vt forte *Lud. XII.* p. 12. quem Gallica, *Christiæni II.* cum aspide, pag. 75.
quem Suecica, Danicaque Nummophylacia ignorant. *Henrici D.*
Brunsv. p. 110. *Ioachimi II. Electoris Brandenburgici* p. 102. *Alberti Brand.*
p. 157. *Mauritii* *Tab. 10.* a Te citati, &c. Germanicis cimeliis ignotos.
Quos ideo nolim falsos suspicari. Et quidem a IVto, quem recenset,
Tab. ead. vtut rarus sit, præter Luckianum diuersum Tibi exhibeo, sub
N. 2. Delineationis non genere, sed modo, vt ex Vultu & Monili apparet
primo intuitu. Anno etiam ex auersa parte, scil. XXXVII, Habet hic ite-
rum *Domine*, forte subintellig. *Tuum.*

Ad

Ad *Emiliam* Tuam N. 3. Tab. 7. duas mitto. Vnam sub N. 3. tam parum a Tua differentem, vt illam incidi vix operæ pretium sit, nisi velis constare curiosis, diuerſas eiusdem generis imagines effingere, illi auo ſolenne fuiſſe. Alteram ſub N. 4. non tam inſcriptione, quam facie dignoſcendam, Rariſſimam, & ſua perigraphæ detegentem ſenſum Voti Georgii Brandenburgici: **Got gibt / als ich hoſſ.** Non grauaberis enim, hic me habere diſſentientem circa coniecturam de fine voti, Qui, ſi de dotiſdatione intelligatur, non ſatis dignus videtur cupiditate tanti Principis. Sublimior erat ſpes maſculæ proliſ, qua exciderat poſt extinctas duas priores tædas. Quamque Ao. XXXIII. Num. 2. Tab. 7. grauida tertia Coniunx offendebat. Quam vero anno ſequenti partu Principis Sophiæ extenuatam, Anno demum quadrageſimo, qui huius nummi eſt, exploratam in magnæ expectationis Principe Georgio Friderico, diuinis laudibus extollit mater: *Got vermagk alle Dinck*, tanquam complemento ſuſcepti voti. Auerſa non aedeſt.

Ad I. Luckianum Tab. 12. alium minoris moduli, delineatione non multum diſcrepantem Tibi mitto ſub N. 5. quem ſi Luckius iſta imitatione muſaſſet: Nimum, fateor, ſibi licentiæ aſſumſiſſet. Auerſa parte caret. Habeo inſuper eiusdem moduli Luckiani eandem auerſam partem, ſed diuerſo longe euentui, ſcil. Heilbrunneniſi Conuentui 1621. applicatam, citato Pf. 144. Cuius Ichthyocollam, ſi nummus iſte Tomo ſecundo non apparet, formari curabo. Ad primam Auguſti Electoris Coniugem addo ſecundæ Agnetis Hedew. Anhaltinæ Numiſma conicum Rarum cum Imag. Iohannis Ducis Holſatiæ, ad cuius ſecunda vota tranſiit, ſub N. 6.

Primi Tab. 13. Eclypum plumbeum habeo, quem Holmiæ accepi, haud coniunctum cum Nummo Mnemonico Conuentus Torgauienſis, quippe qui alterum triennio præcedit, vt ita merito iſta Tibi iunctio ſuſpecta ſit. Quæ, ſicut in Nummophylacio Arnſtadienſi conſpicitur, priuato ingenio Aurifabri ſtantis facta videtur. Sunt enim iſti duo cum ſexto Tab. 14. (cuius nullum præter meum, vidi Eclypum, cuiuſque olim Ichthyocollam Tibi dedi,) Vnilaterales, nec percuſſi, ſed fuſi. In quibus artiſ ſuæ ſpecimen dare voluit Tob. Woff.

Si Tibi, Clariffime Vir, non diſplicet inſtitutum addendi ſub quoque Principe, Viros Genere, doctrina, aut arte illuſtres, poſſum ad hunc Tomum communicare. I. Egreg. Numiſma. *Heinrich des heiligen Romiſchen Reichs Burgraf zu Meißen. Canzeler.* ſcil. Regni Bohem. M D XXXII. qui Ruthenorum Comitum Vtus Burggrauus eſt 2. 3. Duo Mai. Minorisq; moduli *Cancellarii Melch.* ab *Oſſe.* 4. *Sim. Piſtoris.* 5. *Pauli Vogelii I.V.D.*

Leonh,

Leonh. Badehorni. 7. Cancell. Crellii, sed ob tragicum exitum forte ad
 Tom. II. vt Cancell. Bruckii ad hist. Ioh. Frid. II. referuandi. Inter Nobi-
 les 8. Georg. a Selmenitz. 9. Guntheri a Bunau 10. Rudolphi a Bunau. 11.
 Guntheri Iunioris a Bunau. 12. Magd. a Bunau Nat. ab Eble. Eblen, vt
 puto, & ni fallor, ad Rudol. Bunau; sicut 13. Margar. Bunau, nata Schlei-
nitz. ad Gunth. Iun. Bunau, referenda. 14. Hans von Bernstein. Suppetunt
 etiam e Familia Frisia, Gersdorffiana, Miltitz, Bredau, Vitzthum, ad Tomum
 II. referuandi. 15. Anton. Scan. Elect. ac Duc. Saxo. Cap. Magd. 16. Ioh. Ienitz
 Præf. Arcis Hohnst. 17. Nicod. von der Euche Præf. Arc. Pleissenb. Inter
 Theologos 18. Polyc. Leiseri duo diuersa. 19 20 Inter Medicos Celeb. D. Ioh.
Nefe. duo diuersi mod. Inter artifices nitida (Tob. Wost) ab ipso facta I-
 mago. 21. Ioh. Walter. Sculptoris & Conf. Dresd. 22. cum Christ. Waltero
 Seniore 23. Hans Has, Conf. Dresdensis 24. Christiani Endleri & Mich.
 Freudingi Pictorum. 25. 26. Valent. Graefneri. Petri Baumanni. Urb.
 Scheneweis Aurifabrorum. 27. 28. 29. Georg. Hahn. Patrem Theol. vt cre-
 do. 30. Casp. Schallii Dresd. 31. Christ. Stamer. 32. Est & alia minorum
 gentium bona copia, emta olim a Dn. Schlegelio. In quibus vt artem
 suam consumpsit Tob. Wost: Ita nec Tua, nec publici multum interesse
 puto, vt recenscantur. Nam illos, qui aut dignitate, aut ingenii laude,
 nullis fortunæ bonis posthabenda, eminuerunt, posteritati commendari,
 Romanæ prudentiæ exemplum est, Coronis, quas dabat Resp. Romana,
 gloriosius, & reliquis monumentis perennius. Itaque cum nostra atate
 lucri studio prodigatur hic honos, in indignos promiscue collatus, &
 fabricatorum ingenio relictus, sanè Censorio munere non minùs indi-
 gere videtur Ius imaginum, quam Ius monetæ. Ne dum illud minus
 sanctum habetur, deficiant benè meritis præmia, euilescat Modernorum.
 Numismatum vsus, & obsolescat dignitas. Habes, Pl. Colende Dn. Con-
 siliarie, epistolam longiorem, quam cogitaram, sed festinationis, propter
 iter cras instituendum, & pulueris plenam; Obsidem nihilominus sin-
 ceræ voluntatis. A quâ procul abesse pompam, testatur curta supellex;
 Inuidiam verò, vitæ studiorumque ratio, quæ Te non latet. Quid si ap-
 probaueris isthæc, absque vltiore præfatione in fine cuiusque Tomi
 communicare pergam, quæ supplenda habuero. Vale.

Dab. Sondershusæ Prid. Id. Iun. 1705.

Va 213. GK

18
D
A

1800

MC.




ULB Halle

007 442 386

3







B.I.G.

Farbkarte #13

A. 7. 10.

Va
213

CAROLI GVSTAVI HERAEI
*Consilarii Aulici Principalis Schwartzburgici
Sondershusani*

EPISTOLA

Ad

WILH. ERNESTVM TENTZELIVM

De

Opere ipsius Numismatico
SAXONICO.

